...ell.

...rd.

1693 die 22 Octobr.

~~Poezya 3063.~~

Stowaxonis Stanisl. Jos. Autumnales laureati honoris fructus ob virtutis et eruditionis meritam in X. VV. DD. primae laureae Candidatis repraesentati.

AVTUMNALES
LAVREATI HONORIS
FRUCTVS
Ob Virtutis & eruditionis meritum

JN

X. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis

REPRÆSENTATI

Dumq;

In Alma Vniversitate Cracouiensi

PER

Excellentissimum ac Doctissimum Dominum

D.M. GREGORIUM KAWALCZEWSKI

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Con.
tubernij Sisiniani Seniorem

JN

Publica Nobilissimorum Hospitum & Senatûs
Academici frequentia,

Artium & Philosophiæ Baccalaurei

RITV SOLENNI

Crearentur

In vim fraterni Amoris & gratulationis ergó

A

STANISLAO IOSEPHO SŁOWAKOWICZ *Cracouiensi*
eiusdem Laureæ Candidato

54

O B L A T I

Anno salutis 1693. Die Mensis Octobris XXII.

CRACOVIÆ
Typis NICOLAI ALEXANDRI Schedel. S.R.M. Ord. Typ.


hinc Omne desuper donum
honores



ILLVSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO

D. MICHAELI

IN WARSZYCE

WARSZYCKI

Palatino Sandomiriensi, Capitaneo Petricouiensi, Dńo & Mæcenati Amplissimo.

PRodit in conspectum Tuum felicis Iagiellonianæ plántátionis Academica Pomoná laureáti Autumni Tibi offerens fructus. Illustrissime Domine *Neq; cuipiam conuenientius offerre potuit hos literarii honoris neofructus, quàm Tibi, qùi in fertilibus Poloniæ campis Illustrissimæ Prosapiæ Tuæ gratissimam ad Regum delicias exhibes Campaniam, in amænissimo tot Antenatorum Tuorum viridario vel Pometo, nouam extra fabulas Hesperias veneramur, in quibus prodiga ad prodigium fæcunditate aurea Consanguinitatis* WARSZYCIANÆ *arbor aurea poma tot seculorum lustris germinauit. Pensiles Semiramidis horti, & diuitis Alcinoi peramæna tempe, inanis veteris æui iactantia est, cum in augusto* WARSZYCCIANÆ *Familiæ pomario Suauissima Palato magnorum in Sarmatia Triumphatorum bellaria ex áße germinentur, quibus fessi inter aßidua bella Heroes, velut ex arbore vitæ deuromptis fructibus ad immortalis Gloriæ durationem reficiuntur & satiantur. Aureos in vno* ABDANKO *Illustrissimi & Excellentissimi* WARSZYCCI *fructus, non iniquo animo ferens Polonam fæcunditatem Henricus Imperátor probauit dum additum aurum auro actis Gratiis æstimauit. Nihil dulcius suauiusve Hostium Palato, quam* WARSZYCCIA *Virtus cui innatum est multiplici Heroicorum operum sapore Regnantium ánimos recreare. Ipse honor* WARSZYCCIÆ *Domus Illectus deliciis concurrit in odorem suauitatis quam tot eximiis Virtutibus perflorentissimum Lechici Regni viridarium sparsistis. Nullum est in amplissimá hac Republica subsellium in quo ad recreandi animi sui desiderium summa Regum propensio* WARSZYCCYOS *non collocaret. Cracouiensibus Aquilis nihil gratiús quem in grandi & excelsa* WARSZYCCIANÆ *Familiæ arbore nidum ponere. Siradienses, Łancicienses Leones nunquam augustius spatiati sunt. quā in Virtutis Vestræ amænißimo vireto. Hinc beatiori sorte maiorum vestigia secutus,* MATHIAS WARSZYCKI *Ensifer Łanciciensis, quantas meritorum suorū & nunquā morituri Nominis posteritati reliquit adoreás sæculorū fasti loquontur; Nonne omnes gratias complexus* IOANNES WARSZYCKI *qui ad tot Hostium Amazonias secures positus, securus & intrepidus in ipsis periculorum anfractibus hæsit, prosterni nescius aliter, nisi vt Patria staret. Ex eadem inclyta radice in immensum excreuerat ingentis animi Heros* STANISLAVS WARSZYCKI, *qui inter laureas oleasq; summa vir-*

Bellariorum fructuos ex hæreditario censu ministraret. Aureum Poloniæ Pomum ejus Cura protinus euasit, cùm dignissimum Regni Thesaurarium egisset Moschouiticus Draco atrum in Polonos euomens aconitum tum demum omne venenum amisit cum hic Sarmaticus Cyneas natiuæ Virtutis & eloquii dulcores Ioanni Basilidæ propinaret Ad huc fama immortalis per ora virorū defert Illustrissimos Patruos Tuos PAVLUM *Palatinum Masouiæ*, ADAMVM *Succamerarium Lancyciensem, Consos Catonesq; Poloniæ, virtutis ideas, consiliorum Oracula, nulla eos tacebit ætas qui in arduis Reipublicæ negotiis omnia Suauissimè componere ad integritatem Regni caluerunt. Quis Tullius aut Demosthenes, dignâ verborum maiestate celebrare poterit* STANISLAVM *de Warszyce* WARSZYCKI *Comitem in Pilca & Ogrodzieniec Castellanum Cracouiensem Auum Tuum, qui visitato Virtutis more gradatim Honorum subsellia capessens Senatorum gemma, aureus Tripos, in quinq; Regum electionibus digna Cedris mortalibus oracula fudit, Senatorum Dignissimus antesignanus, incorruptæ mentis Crystallus adeo omnium, ciuium oculos in se conuertit, vt etiam* KORYBVTHEA *Sydera eum benigniori quia connubiali aspectu intueri decreuerint, Magnum suo Stemmate cælo terraq; conspiciens* WARSZYCCIVM *Ducalis* LVNA, *se in Trophæum & arcum tryumphalem communicare non dubitauit. Verùm quid angusti ingens decempeda metiri Contendo Celsissimam Familiæ Tuæ Illustrissime & Excelme Domine arborem. Cum Tu Maiorum Tuorum viuis Coloribus adumbrata imago & Typus virtutis eorum omnium mentes rapusti in stuporem. Heroica ætatis Tuæ gesta & auro notanda facinora nulla Ilias capere potest. Ferreo sæculo natus aureus Vir ita òmnia exegisti ut Lydius bonarum mentium lapis Serenissimus & inuictissimus Sarmaticus Augustus* IOANNES III *Te omne pretium excedere oraculo suo prodiderit. Et quid ni Te hic Mars Poloniæ Coronatus ita æstimet qui; Martios Tuos Spiritus ad Pontum & Borysthenem ardentissimos, fortitudinem semper inuictam, contra Sueticos Leones, Moschouiticos Dracones admiratus vt Te Patriæ Defensorē demonstraret Regni Te Ensifer armauit. Pulchram hic Virtutum Tuarum & Regiæ Magnificentiæ Concertationem mirari, & venerari licet? Tu Dignissimus Regni Ensifer maiores Virtutes, Serenissimus Rex maiores honores Tibi adauxit, dum Palatinatus Sandomiriensis curulem, Meritis Tuis pridem debitam contulerit. Et cum rapitur ad asimilitudinem sui excellens quaq; natura, eodem Virtutis tramite Augustoq; passu illustrissimi Tyndaridæ Tui ad honores ex asse procedunt: cum vnus Ensifer Regni, alter Vexilifer Siradiensis maioribus in Regno hoc honoribus feliciter præludant.*

Quidni ergo in amplissimo gratiæ Tuæ sinu Iagiellonica Pallas laureatos fructus reponere studeat qui tot laureis Maiorum & virtutis Tuæ ornatus, laureata etiam munera serenâ fronte recipere non dedignaris, Nempe in Illustrissima WARSZYCIORVM *Domo Omnis eruditionis penu pridem Gratiæ Veneratæ Musæ fructum pro fructu quem ex Munifica liberalitate Tua acceperant profunda cum veneratione & voto referunt. Quarum submissionem in me non aspernaberis senatorum Dignissime qui inter primos fructus hunc optimum & Suauissimum mihi esse reputo, dum Te summis in Regno honoribus Cumulatum & Ornatum quàm diutissime in Augusto Poloniæ Senatu Oracula depromentem profundo obsequio potuero Venerari* DIXI

Tuæ Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationis

æternùm deuinctus Cliens
& Seruus
STANISLAVS IOSEPHVS SłOWAKOWIC
Primæ Laureæ Candidatus

D. IOANNI CANTIO

Orbis Poloni & Academiæ Cracouienſis PATRONO

In argumentum deuotiſſimi cultûs,
Autumnus varijs fructibus conſpicuus.

CVM LEMMATE

Sic variata delectant,

IGneas poſtquam furibundus iras
Vexit è terris Syrius, feraci
Mox nitens fructu ſpecioſa cunctis.
Sæcula largè
Fudit autumnus. natat in beatis
Frugibus tellus, fruticis ſuperbæ
Gemmat hinc fructus, cataclijſmus inde
Spumat honorum
Fertilis tellus ſimilem nec ipſa
Copiam frugum cumulat: uireſcens
Sola non ſplendet, uiget hic & amplo,
Fuſa labore
Porticus. laudum radians nitore
Quas nec emiſsis Boreas quadrigis
Conteret, ſtridens hyemis nec vnquam
Squamma mouebit
Ergo ſic nullâ rabie nefanda
Fructus hi paſti titubante culmo
Ad tuas plantas opibus grauata,
Colla reponunt;
Arbiter Lechi Pater Alme Canti
Cûi Cracus turres ſinuat, profundus

Fluctibus raucis agitat sonoros
Vistula Cantus.
Syderum quamuis. apices niuoso
Te gyro stipant, radiante cornu
Luna Te monstrat latus hinc Olympi
Balteus ambit.
Sed tamen nostros solidè dicatos
Fructus haud temnes, rigidus parauit
Quos labor noster, tua busta proni,
His decoramus.
Vix enim quidquam meliore voto
Concipit pectus tibi, dextra cuius
Gratiæ nimbo pluit, ampla terris
Munera spargens
Inde Doctorum Pater eminentes
Linque tûm partes, Zephyriq; pennis
Aduoles cum Te sinuata laudum
Præmia poscunt
Fructus istos trux age quin malorum
Bruma non lædat, bona mitte terris
Nam tibi creuit melior sub ipsis,
Gratia cunis.

Clarissimis, Excellentissimis, & Admodum Reuerendis Dominis.

D.D. EXAMINATORIBVS.

Clarissimo & Admodum Reuerendo Dño

D. M. GABRIELI PROFECKI.

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minòri, Præposito Rymanouiensi,

Et interea Inclytæ Philosophicæ Facultatis

D E C A N O

Cla-

Clarissimo & Admodum Reuerendo Domino

D. M. ANDREÆ WAWRZYNKOWIC

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio & cursûs Vladislauiani Professori.

Clarissimo & Admodum Reuerendo Domino.

D. M. MARTINO WĘGRZYNOWIC

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ. Minori, Eccl: Coll: SS. Omn: Cann: Protonotario Apostol:

In argumentum debitæ gratitudinis & venerationis,

Pomum aureum tribus Deabus ab Ioue n i sum

CVM LEMMATE
Detur Sapientiori

QVisquis supremos scándere vertices
Ferriq; terras. & populos super
Anhelat, ac famæ quadrigis
Ceruleo dare nomen alto.
Hûic non habenis summa ferens labor
Strictis, superbos temperet ambitus
Casusq; multi tum decoro
Asperitas comitata greßu
Currum recingat: scilicet aurei
Venusta solis progenies bonos
Lucem serenam dat honorum
Non prius, alta petens priusquàm
Frons eruditis affluat imbribus
Sudoris, altè nam decus arduis
Stridente curarum Phalange
Seposuit sua doná Musis.
Et vos Togatæ Matris & Inclyta
Famæ propago, sát celeri pede
In alta currebas profundum
Per Pelagus rigidi laboris;
Sufflante vero diuitis ingenî
Ad hæc honorum culmina prosperos
Greßus dedistis per labores
Continuos properando: iamq;
En Te decoris summa curulibus

 vir-

Virtus PROFECKI *sustulit optimos*
Notando fructus, atq; dotes
Te voluit rutilante bysso
Splendere: circum Palladis Inclyta
Te Regna doctis promere prælijs
Gaudent, & annosus Stagyra
Imperijs sua colla subdit.
Es mille linguis milleq; vocibus
Suadaq; dignus melliflua simul;
Quem Musa doctior beauit
Ingenij calamiq; vena;
Cedro notandæ quis memoret satis
Augusta mentis munera: deferet
Quæ fama per mundum sonora
Perpetuis geminabit æuis.
Veri pererrans ambiguus notet
Euripus vndas, carmina detonet
Verbosa moles pulchra nec non
Ingenij fremat aure rixa.
WAWRZYNKOWIC *Tu clarius emicas*
In orbe docto: difficiles quoq;
Nexus stagyritæ resoluens
Dotibus ingenioq; celso;
Phœbi nitorem non modicum tibi
Biala parauit quæ regimen tuum
Experta. tunc cæli niuosa
Sæcula purpureosq; soles
Legit bonorum: quam tibi candido
Bacchatur ortu copia, diuitis
Musæ WĘGRZYNOWICZ *sophorum*
Delicium stupet ipse claras
Stagyra dotes, viuidus ingenî
Te fulgor altis clarat honoribus
Magnumq; mox Astræa cernens
Ipsa Tibi cadit erudita;
Qui lance mentis dogmata Palladi
Libras Sacratæ, consiliis Numas,
Feruore legum fers Lycurgos,
Moribus anteuenis Catones.
Ergo capesses præmia Palladis
Omni canenda progenies ore,
O sacra virtutum & decoris
Pignora, sydereiq; fetus;
Effluxit in vos gloria quam labor
Et dura rerum copia contulit.

Cona-

Conatusq́ magnos perindè
Auriferi decorant honores.
Vos Virtus altè cingat eburneo
Fulgore Dotum quas Acherontia
Non vmbra lædet: nec malorum
Nox minuet glomerante casu.

AVTVMNALES LAVREATI HONORIS FRVCTVS

II. V. & Rńdo Dńo ANDREÆ KVCZKOWSKI

Ordinis Canonicorum Regularium Custodum SS. Sepulchri Dńi Hierosolymitani Conuentûs Miechouiensis Professo.

Fructus Lauriferi in monte Parnassi virentes

CVM LEMMATE

In arduis decus & Corona.

O Cyús hûc Cytharæ Præses, Genito rq; Dearum
Iam mollirê tuas pulcher Apollo rotas
Fructus lauriferos Parnasi in montè virentes
Porrige victrici, Delphica serta Deæ.
Kvczkowski celebris dùm, magnos prensat honores
Quos meruit Virtus, ingeniumq; sagax,
Dignus honoratæ fructu virtutis habetur
Sublimiq; viget laudis honore diu:
Inclyta Miechouiæ proles, resplendet in Orbe
Quam meritâ lauru contegit Alma Parens,
Miechouij clari pietas hînc Ordinis extat
Fructus lauriferos, hînc sacra Pallas habet
Dotibus ingenij pollet virtute paratis
Tullius ore canit, verba diserta suo:
Iam mundo celebrem signat Crux sacra futurum
Quæ vitæ fontem, corq; salutis habet.
Ergo lauriferos retines dum fronte decores
Vt Viuas felix, hoc mea Musa uouet.

III. V. D CASIMIRO CEYPLER *Crac;*

Fructus pomorum aureorum ex horto Hesperidum decerptorum.

CVM LEMMATE

Dant rapta Tryumphum.

Dilecta Musis progenies Craci
CEYPLER, sacratum mentis in abdito
Cûi mentis est candor niuosus
Et pietas probitasq́ iunctæ.

b2 *Profu-*

Profudit in Te conſpicuus lábor
Tu ſera per quem ſæcula ponderans
In fractus ad metas honoris
Deuenies, Cynoſura cui
Eſt eruditis clara nitoribus
Mens, ac ſerenans ingenium Pharos
Phœbo coronatoq; ſemper
Nomine; luceq; clara dignus,
Caligo per Te fert Logicæ dies,
Quando ſerenis pectoris ignibus
Ceu Phœbus alter veritatis
Cimmerias tenebras repellis
Et iam ſecundè tot meritis nites
A Matre dignam laurigerâ manu
Quando capis iuſtam coronam,
Tempora condecorans corymbo.
Hinc per ſerenos Sarmátiæ polos
Vehet ſuperbo nominis eſſedo
Et Te Polonis iunget aſtris
Pulcher honos niueusq; candor.

IV. V. D. STANISLAO ŁACKI

Dactyli Palmæ arboris fructus inſignes

CVM LEMMATE

Hæc dulcedo laborum

QVisquis excelſos apices honorum
Ambit, & claris dare nomen aſtris
Hic priùs latè nimium laborum
Pondera geſtet.

Quippe ſplendentis Soboles Parentis
Dignitas, illis placidè recumbit
Dulce contriuit rigida malorum
Quos labor auge;

Guſtet & ſi fel ſapidum referre
Qui cupit nectar, laticesq; ſuaues,
Nempe dulcedo ſolidis paratur
Nonniſi curis

Si Tibi guſtus placet eruditi
Præmij ŁACKI, ſapidumq; nectar
Arduos Primum ſtudij receſſus
Ferre neceſſe eſt

Ergo iam felix præeunte curâ
Euoles pennis, vt in alta tendas
Sic tibi Victrix feret ampliores
Palma coronas

Nam coro

Nam coronarum pretiosa fecit
Dona quæsisse, & teneris ab annis
Palladis gustum studijq; certos
Præbuit vsus
Inde felici genio probatus
Laudis insignem Tibi sume palmam
Nam tuas dotes decet vniuersi
Gloria Pindi

V. V. D. NICOLAO KRAVZOWSKI.
Fructus mali Persici, & laurum quæ in Parnasso spectatissima habetur

CVM LEMMATE

Tibi vernát Parnasia Laurus

TIbi secundis tecit ethesijs
Desideratám Palladis aleam
Fortuna, virtùti renixá
Quam decorat probitas refulgens
Diuæ cánentes Pallade gratiæ
Dedere nasci, cûi nihil arduum
In maximis rebus, nihilq;
Difficile ingenio sagaci
Testes tuorum Palladis atria
Extant laborum, sub quibus ingenî
Fulgor venustus per Lycæa
Emicat & meruit coronas
Probata virtus aßidua iuuat
Quam æui prioris lectio, pennaq;
Dudum laboratos per vsus
Iudicio sapiente fulta
Excelsa magnis non sine plausibus
Conscende velox culmina gloriæ
O docte KRAVZOWSKI triumphes
Dotibus ingenij celebris
Nunc auspicati remige Numinis
Vernante laudum cinctus adorea
Aßurge & Almæ Matris imple
Vota nouos cumulans honores.

VI. V. D. CASIMIRO GAIOWSKI.
Dulces Tiburtini fructus, laureis virentibus inserti

CVM LEMMATE

Gratus ab eloquio dulcior.

NOn est gloria pulchrior
Quam rostris ueniens dulce loquentibus
Quâ priscum Lacij decus,
Et gentis steterat fama Pelasgicæ
Romanus quoties apex
Facundi stupuit nomina Tullij

Concessitq; Togæ graues
Vt Martis premeret sanguinei minas
Suadæ tybur amænius,
Respondet sapidis vndiq; fluctibus
Quod Tu munere Palladis (ihtenis
GAIOWSKI celebris grata Demo-
Quidquid vincere gloria
In rostris potuit sæpius Attici
Hoc Tu fac tibi sedulo
Vt cedat studio gratia de tuo
Oris flexamini potens
Insignes animos ducere quó voles
Hoc Tu per Cathedras stoæ
Gratus dulcor eris doctaq; portio

VII. V. D. ANDREÆ FRANCISCO KRZEWINSKI
Amigdalam duro constricam cortice
CVM LEMMATE
Non absq, labore

VIrtus magnanimæ nixa scientiæ
Semper tendit in ardua
Quam famæ sequitur perpetuum decus
Merces optima gloriæ
Hæc lauro viridi floreat vt mágis
Sacro fædere iuncta sit
KRZEWINSKI *ingenio pulchra datur tuo*
Merces, Palladij lucrum
Factis eximijs quando nites tuis
Laurus sacra fit æmula
Iam Te Gangiferas famá per Insulas
Vectat, Teq; perennibus
Chartis condecorat quo vocat Inclyta
Te virtus pietas quoq;
Ad culmen studij Palladis Inclytæ
I faustus celeri pede.

VIII. V. D. STEPHANO WIERZBICKI
Fructum laudatissimæ arboris Dodoneæ cum Delphica lauru
CVM LEMMATE
Vt iusta oracula pandas

TV noua laus sequeris grato resonanda Poetæ
Qui cadis in calamum dulcè canende meum,
Ex Te Musa decus capiat Iagelona perenne
Possideat vires docte stagyra tuas
Cuius in arcanis euoluere dogmata tendis
Comittens menti grande laboris opus
Pulchra Tibi gratè tanto de Numine poscis
Munera, proposito iamq; dicata Tuo

Diua Themis si te iuris dictamine poscit
Nobile si legum nosse tribvnal amas,
TuThemidis monumenta legas,Tu iuris & æqui
Consule, quæ magni scripta dedere iuri
Hic vigor eximiæ mentis reuirescas in æuum
Dulce tuum toto floreat Orbe decus
Vt responsa feras maturo pectore digna
Vt sis consilio promptus, & ore grauis:
Virtutem tantam Psoiecki corq; fidele
Porrigit, ingenio dotibus atq; tuis
Inclyte Wierzbicki dum scandis culmen honornm
Id Tibi deuoueo clarius vt niteas.

IX. V. D. IOANNI WOLENSKI

Malum granatum ex Cardinalis Aragony Symbolo,

CVM LEMMATE

Pulcherrima latent

TE ne Wolenski sileam referre
In stagyræ Palladiumq; circum
Quem diu sacris tenuere votis
Castra Mineruæ
Pegasi dulces uacuare fontes
Semper ardebas, sapidosq; somnos
Multa defessis oculis negare
Sæpe legendo
Gloriæ merces trahit ad supremos
Laudis & famæ titulos notando
Quemq; Pallas docta suis triumphans
Æmula laudis
His tuos multum assiduos labores
Nunc Iagieloni sapiens Minerua
En Licæi ditat, stimulans honores
Scandere celsos
Hic capis quando meritam coronam
Porticûs doctæ studijs coruscus
Quo iubet clarus properes Apollo
Sacraq; Pallas.

X. V. D. STANISLAO PECHERZYNSKI.

Fructum mali Cydonei in designanda positum meta.

CVM LEMMATE

Currenti dabitur

IAm literatam meta Coronidem
Augusta claudit quando, celeusmate
Læto Pecherzynski triumphat
Ingenij bonitate nixus
Resplendet in Te nam sapientiæ
Pectus dicatum, florida scilicet

Ætate maturefcit in Te
Flos animi, ftudijq; fructus
Metam coronet. quando fcientijs
Incumbis, at quod feriús abdidit
Senfus Sophorum vel diferto
Ore Senex Pilius refudis
Hinc illa lingua fulgurat hinc tua
Facunda virtus, quam propé comitas
Venufta morum; Palladi quæ
Explicuit tua figna late
Quod fi fat Orbi clarus & aureæ
Felix perennis munere gloriæ
Dux Hercules virtute præftáns
Iam retulit fpolia ampla famæ
Certè tuorum gloria famaq;
Recens laborum, confpicitur fatis
Pulchro Sophorum dum fecutus
Victor, ab agmine fers coronam
Ibis triumphans Hercule nil minor
Lauru virenti tramite gloriæ
Ad magna virtutis theatra
Laurigeris fapiens cateruis

I. V. D. STANISLAO IOSEPHO SŁOWAKOWIC
Primæ Laureæ Candidato
Authori operis
In Symbolum mutui affectû & gratulatorij applaûfus
NICOLAVS KRAVZOWSKI eiusdem Laureæ Candidatus
Fructus eosdem, quos Auctor fingillatim fuis Concandidatis diftribuit in vnum collectos, reciprocè offert dedicatq;
CVM LEMMATE
Æternum in fuo perennabunt Authore.

LAurigeros fructus dum læto carpimus ore
Quos Tua SŁOWAKOWIC docta Minerua tulit
Laudes præcipuas cuncti Tibi ferre tenemur
Et Nomen magnum, concelebrare metris.
Mentem non corpus namq; hæc bellaria complent
Et recreare animos & faturare queunt,
Ad guftum nobis quia Te cecinifse fatemur
Et fructus fapidos diftribuiße fatis
Quare pro tantis, quæ munera digna rependam
Nefcio, quæ meritis fint referènda Tuis.
Quem florere diu monet ipfa decora iuuenta
Dum grauidos fructus flofculus ipse paris
Ergo fis felix victuri Parentis ad inftar
Filius ex tanto sanguine magnus eris
Aduerfos cafus pellat tua bina fagitta
Ne fatum infurgens audeat eße Tibi
Hoc meus affectus cordis fincerimus optat
Hoc vouet & noftrum candida tota cochors.

Permiffu Magnifici Domini
RECTORIS.